Ludovicus dei gratia Romanorum Rex semper Augustus Honorabilibus viris Populo Civitatis et diocesis Valentin(e) dilectis et fidelibus nostris salutem et gratie nostre ac dilectionis augmentum. Honores nostros agere ac magnificentia Regiam credimus honorare, si gratie nostre personis quibuslibet sed precipue generis nobilitate conspicuis, et in ecclesia dei precelsum locum habentibus et aliis specialibus nostris amicis munificentia nostra concesse, ut debita prosecutione non careant, sed plenum et debitum effectum obtineant, celsitudinis nostre partes apponimus et executionem ipsarum utilem fieri iuxta petentis et concedentis animos Regia auctoritate iubemus. Dudum itaque significante nobis Reverendo patre domino Petro de Columpna Sancte Romane ecclesie diacono cardinali amico nostro karissimo quod Religiose Mulieres . . Abbatissa et Conventus Monasterii sancti Petri de Subdione ordinis sancti Benedicti Valentin(e) diocesis, credentes tam sua quam ipsius Monasterii conditiones et iura in spiritualibus et temporalibus facere meliora, et quod per cardinalem ipsum dicti Monasterii et eius iura in spiritualibus et temporalibus multipliciter augmentari poterunt et etiam conservari, dederunt sibi ac heredibus et successoribus eius universalibus vel in rem, et in feudum francum et liberum concesserunt, seu dare et concedere parate sunt et intendunt donatione pura simplici et irrevocabili inter vivos nomine suo et dicti Monasterii et sibi in eo perpetuo succedentium Moctam Subdionis et Insulam sitam in flumine Rodani, dicte Mocte vicinam, abbatisse dicti Monasterii Regali seu Imperiali largitione donatas cum ipsarum iuribus pertinentiis et appendiciis universis, cuius quidem Mocte rehedificatio, refectio atque constructio non solum eidem ecclesie Valentin(e) sed toti circumposite Regioni perquam utiles et necessarie fore noscuntur necnon et ad tutelam, securitatem et custodiam dicti fluminis Rodani circa loca predicta et omnium itinerantium seu navigantium ac mercimonia quecumque deducentium in locis eisdem. directo sibi et succedentibus eis, ac eidem Monasterio dictarum Mocte et Insule dominium retinentes prout in Instrumentis publicis inde confectis seu conficiendis dictorum cardinalis et abbatisse et conventus sigillis munitis premissa omnia plenius contineri debebunt, et instanter nos dicto cardinali rogante ut donationem et concessionem huiusmodi dictarum abbatisse et conventus ratas et gratas habere, ac auctoritate Regia confirmare, et insuper predictas Moctam et Insulam sibi et dictis heredibus et successoribus suis de novo donare ac in eum et illos plene transferre auctoritate eadem deberemus. Nos provida consideratione pensantes prosecutiones multiplices sumptus et dampna gravissima que idem cardinalis et sui preteritis temporibus adversantibus eis potissime pro obsequiis predecessoribus nostris Romanorum Regibus et Imperatoribus per cardinalem ipsum et suos ac progenitores eorum in honoribus et iuribus Imperii conservandis et manutenendis multipliciter et diversimode sunt perpessi, ad quorum satisfactionem Nos et Imperium eisdem recognoscimus obligatos, et habentes ad ipsos multe compassionis affectum ac volentes eis premissorum obtentu de alicuius satisfactionis et aliqualis restaurationis in dictorum dampnorum compensatione providere remediis, sperantes etiam quod quanto potioribus ipsos favoribus prosequemur et gratiis tanto constituemus ipsos ex debito ad honores nostros et Imperii promptiores, volentes insuper pro he-dem cardinalem tam sublime membrum ecclesie dei peculiarem reddere nobis in nostris et Imperii iuribus conservandis amicum, postulationibus eius annuimus et prelibatas donationem et concessionem dictarum abbatisse et conventus de dictis Mocta et Insula sibi sicut premittitur factas vel fiendas, ratas et gratas habentes, non obstantibus quibuscumque dictorum predecessorum nostrorum privilegiis seu mandatis fortasse contrariis, et volentes huiusmodi ipsas et illa perpetui roboris firmitatem, eas et ea auctoritate Regia confirmavimus, quo ad alia et tenore presentium confirmamus, ipsasque Moctam et Insulam, cum iuribus pertinentiis et appendiciis prelibatis, cum libertate, immunitate et exemptione, mero quoque et mixto Imperio, ac iurisdictione totali, dicto cardinali ac heredibus et successoribus eius universalibus vel in rem, ad quem vel quos de iure seu ipsius cardinalis dispositione, ordinatione vel voluntate devenerit, de novo concedendi duximus et donandi, in ipsum cardinalem ac prelibatos heredes et successores ipsius supradictas Moctam et Insulam cum omnibus premissis iurisdictione et iuribus plenarie transferentes, ipsasque a cuiuslibet alterius potestate et dominio in totum eximimus, et ipsas liberas esse censemus, et supplemus omnem defectum siquis forsan in donatione, concessione et translatione prefatis extitit vel existet de nostre excellentia potestatis. Et volentes dictos cardinalem ac heredes et successores favore prosequi gratie potioris, non obstante privilegio Imperiali seu mandato, quo dicitur inter cetera contineri, ne quis hominum preter Electum vel Episcopum et comitem Valentin(e) a flumine Isare usque ad castrum Montilii et a castro Ariste usque ad villam de Subdione et in toto episcopatu Valentie, pedagium vel guidagium recipere quomodolibet presumat, quod quidem privilegium, necnon et omnia alia et singula privilegia immunitates et libertates concessa eidem ecclesie Valentin(e) per predecessores nostros Romanorum Imperatores et Principes cuiuscumque tenoris existant obtentu dicti cardinalis nos specialiter super hoc et attente rogantis, ex certa scientia confirmavimus et tenore presentium confirmamus, certa sibi in dicta Mocta et appendiciis et circumadiacentiis eius, pedagia seu guidagia, sive per aquam in flumine videlicet Rodani, sive per terram in stratis et locis eisdem Mocte et Insule circumadiacentibus et vicinis, que ad executionem gratie supradicte aptiora, tutiora et habiliora idem cardinalis duxerit eligenda seu etiam deputanda, sive ascendendo sive descendendo, iuxta qualitatem formam in aliis ac presentibus nostris privilegiis seu litteris specifice comprehensas ex proprio nostro motu et liberalitatis arbitrio iura nostra et Imperii credentes ex hoc facere meliora, ac nos et dictum Imperium exonerantes, satisfacere de predictis, propter causas supradictas, quas ad concessionem huiusmodi iustas, legitimas et canonicas sufficientes ydoneas et probabiles iudicamus atque decernimus, necnon et aliis iustis causis et legitimis ac plene ydoneis et sufficientibus ad concessiones predictas, quas ex causa iusta et rationabili presentibus non duximus inserendas, duximus auctoritate Regia concedenda, prout in dictis aliis ac presentibus nostris privilegiis seu litteris Regii nostri sigilli appensione munitis premissa omnia plenius continentur. Inhibuimus etiam inter cetera per eadem privilegia nostra seu litteras universis et singulis Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Communitatibus, castris, villis et terris aliisque subditis nostris ecclesiasticis vel mundanis sub amissione privilegiorum libertatum atque feudorum, que habent et tenent seu tenere debent a nobis, quibus omnibus omnes et singulos contrarium facientes dictorum privilegiorum nostrorum auctoritate privamus, districtius iniungentes, ne dictum cardinalem aut heredes et successores ipsius in pacifica possessione dictarum Mocte et Insule, ac in dictorum pedagiorum seu guidagiorum receptione, levatione et exactione contra dictorum privilegiorum nostrorum tenorem impedire presumant seu molestent. Dedimus etiam dicto cardinali ac heredibus et successoribus suis cudendi vel cudi faciendi monetam auream, argenteam et eream seu eris contaminatam, cuiuscumque cunei vel impressionis existat absque contradictione cuiusquam plenam et liberam per eadem nostra privilegia potestatem. Cupientes igitur et volentes ut huiusmodi nostra gratia dicto cardinali ac heredibus et successoribus suis iuxta suos et nostros affectus proveniat fructuosa, sperantes insuper vos et vestrum singulos erga nos et Romanorum Regnum et deo favente subsequenter Imperium inter ceteros devotos nostros speciali devotione pollere, fidelitatem vestram ad vitandas penas in dictis nostris privilegiis contentas et in presentibus repetitas, quas etiam in presentibus innovamus, presentium tenore requirimus ac Rogantes edicimus, quatenus eidem cardinali iuxta fidelitatis debitum, quo tenemini nobis in premissis omnibus et singulis premissorum et potissime in perceptione, levatione et exactione passagiorum, pedagiorum seu guidagiorum in dictis nostris privilegiis expressatis, nullum impedimentum, nullamque iniuriam, calumpniam sive molestiam quominus gratia nostra libere uti valeat, per vos vel alium seu alios inferatis nec inferri ab aliis permittatis. Sed assistatis ei ac heredibus et successoribus suis, ac super hoc deputando vel deputandis ab ipsis consiliis, auxiliis et favoribus oportunis, ut per hec devotionem vestram ad nos et Imperium ostendentes mereamini a nobis et ipso auxiliante domino favores et gratias uberes successu temporis obtinere. Quod si forsan vos aut quivis alii sive Principes Comites Barones nobiles sive Civitates Communitates Castra ville et terre aut alii singulares subditi et vassalli nostri cuiuscumque conditionis aut status ecclesiastici vel mundani huiusmodi privilegiorum et mandatorum nostrorum fueritis quod non credimus contemptores et prefatum cardinalem ac heredes et successores ipsius aut deputandum super hoc vel deputandos ab eis, quominus dicta pedagia seu guidagia in prefata Mocta et appendiciis ac circumadiacentiis eius iuxta nostre concessionis tenorem et modum in prelibatis et presentibus nostris privilegiis expresse contentos libere recipere levare ac exigere valeant, impedientes seu molestantes atque turbantes, aut impediri molestari et turbari per alios feceritis publice vel occulte, aut iniuriam violentiam resistentiam vel obstaculum intuleritis vel inferri quolibet aut qualitercumque feceritis, et requisiti a dicto cardinali aut heredibus et successoribus eius vel ex parte ipsorum infra octo dierum spatium a die requisitionis huiusmodi computandum non resipueritis et in totum cum effectu cessaveritis, neque dicto cardinali aut prelibatis heredibus et successoribus eius de huiusmodi iniuriis violentiis molestiis et dampnis ac etiam interesse congrue satisfeceritis, vos et ipsos et vestrum et ipsorum singulos omnes predictas penas decrevimus et tenore presentium decernimus incurrisse, vosque et ipsos ac vestrum et ipsorum singulos omnibus et singulis privilegiis libertatibus immunitatibus, feudis, iurisdictionibus et iuribus ac bonis mobilibus et immobilibus que vos et ipsi habetis et tenetis seu tenere debetis a nobis Regia auctoritate privavimus et privamus ac decernimus esse privatos. Illa dicto cardinali ac prefatis heredibus et successoribus eius, qui ex dicto contemptu principaliter dampnificati atque leduntur et quorum singulariter interesse versatur, necnon et illi vel illis in quem vel quos idem cardinalis prefata bona et iura ex huiusmodi nostro concessu sibi incursa atque concessa transferre voluerit sive transtulerit auctoritate presentium plenarie concedentes. Dedimusque bonorum ut predicitur incursorum et concessorum ex molestia et contemptu predictis possessionem eidem cardinali ac heredibus et successoribus suis universalibus vel in rem seu illi aut illis in quem vel quos bona et iura predicta ex eiusdem cardinalis concessione translatione ordinatione vel voluntate devenerit, ingrediendi auctoritate nostra plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Supplentes omnem defectum, siquis in premissis seu premissorum singulis quomodolibet existeret vel existet de Regalis nostre preexcellentia dignitatis. Vos igitur de quorum fidelitate plene confidimus, sic obedienter, devote et fideliter nostris in hac parte mandatis et beneplacitis parere curetis, faventes et assistentes dicto cardinali ob eius et nostri Reverentiam et honorem circa utilem effectum huiusmodi nostre gratie consequendum, quod sibi et nobis effectualiter satisfiat et non solum vitetis gravitatem penarum in presenti et aliis nostris privilegiis expressarum, sed mereamini a nobis et Imperio deo favente gratias uberes obtinere. In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem presentes litteras fieri et nostri Regalis sigilli iussimus appensione muniri. Datum apud Noremberg anno domini Millesimo Trecentesimo Quintodecimo III non. Junii Regni vero nostri Anno primo.